

IIc
440



QK. 532, 4.

B. m. II, 645

ANIMADVERSIONVM
HISTORICARVM ET PHILOLOGICO - CRITICA-
RVM AD PHILONIS LEGATIONEM AD CAIVM
S P E C I M E N I

QVO
AD ORATIONES VI

IN

ILLVSTRI SCHOLA PROVINCIALI

A F R A N A

A, D. XXVII. AVG. A. R. S. CCCLXXIII.

A V D I E N D A S

PERILLVSTREM AFRANEI
INSPECTOREM

ALIOSQUE

VIROS GENERE, VIRTUTE DOCTRI-
NA QVE INSIGNES

HUMANISSIME INVITAT

M. IOANNES CHRIST. GOTTLER

ILLVSTRI'S AFRANEI RECTOR.

M I S E N A E
L I T T E R I S S C H V L Z I A N I S,



ANIMAM DAE RIONUM
HISTORICARVM ET HISTOLOGICOS - CRITICOS
RAM AD PRINCIPALIA LEGATIONIA AD CAVIN
ET CIVICIS

AD ORATIONES IV

ILLIGRIS SCHOLIA HISTORICARIA
ATRATA

ILLIGRIS STYLIS ALERANT
INSTRUCIO PÆSTI

ILLIGRIS ENTIÆ PÆSTI
NAQÆ INSENSES
ILLIGRIS CHRISTI GOTTLEBES
ILLIGRIS ALERANT RECOTOR

MISERICORDIA
SCHOLÆ TANITÆ





Qui in historia veteri et antiquitate, paulo accuratius cognoscenda, recte versari volunt, non modo plurimum operae, cogitationis, et temporis, in legendis iis scriptoribus, qui ex instituto eam explicarunt, ponere debent, sed et alios sibi in consilium adhibere, qui, quod, a suo proposito non esse alienum, putarent, vel aliquam historiae partem attigerunt, vel orationem, rebus, e litteris reconditis et interioribus petitis, tanquam gemmis, distinxerunt, et ita iis, velut in transitu, aliquantum lucis adfuderunt. Ad hoc genus scriptorum quoque referendum esse Philonem, Judaeum, elegantiae Graecorum studiosissimum, antiquitatisque, cum Judaicae, tum Graecae, Romanaeque, peritissimum; satis ii norunt, qui idonea graecae linguae scientia instructi, se ad eius lectionem contulerunt, & quasi familiaritatem cum eo contraxerunt. Quem cum ob consuetudinem, quam, diligentie lectione, cum Platone init, & amarem, & ob rerum grauitatem, scribendi elegantiam, & ornatum, magni aestimarem: a disciplinae meae institutis non abhorrire existimavi, si in gratiam humanitatis studiorum, in primis disciplinae meae alumnorum, quosdam Philonianae lectionis fructus expromerem, atque, speciminiibus aliquot scribendis, eos docerem, quam latissime pateret eruditionis campus, & quosnam flores ii, qui illius spatium emetiri conarentur, decerpere possent. Cogitanti itaque mihi, quemnam Philonis libellum mihi

potis-

A

potissimum explicandum sumerem; nullus magis idoneus visus est, quam is, quem de virtutibus, sive de legatione ad Caium, inscripsit. Tanta enim est in eo rerum varietas, quae ad illustrandam imprimis vitam atque imperium Caii, nec non Augusti, Tiberisque mores, atque quaedam instituta, melius intelligenda, faciunt; nihil dicam de antiquitatibus Iudeorum, Graecorum, Romanorumque, inde perspiciendis: ut, si quid de libri arguento, qua luce in historiae focenerat, de fide Philonis in rebus tradendis, de scribendi genere, & eius studiis, quatenus vim in rerum tractandarum rationem habeant, disputarem, & omnino meum iudicium de ipso libello ostenderem, rem non inutilem, ac forte non iniucundam, me facturum putarim. Constitui praeterea, si, rebus paulo grauioribus explicatis, harum rerum existimatoribus non insuauem rem suscepisse visus fuero, loca difficulta, adhibita crisi, illustrare, aut male a Mangeio correcta, postliminio quasi, in integrum restituere.

Philo quidem libello ipsi, quem de virtutibus inscripsit, vt tanquam *εἰγὼν*, res gestas Caii laudasse videretur, * quae tamen flagitiis & sceleribus nefariis, quae profligatissimus homo unquam concipere potuit, continentur, a legatione quoque, quam auctoritate Iudeorum, Alexandriae veriantum, suscepit, nomen indidit. Res autem, quam Iudei, Philoni, apud Caesarem perficiendam, detulerunt, habuit initium eiusmodi. Quum Caius eo vesaniae progressus esset, vt se, ** non modo Romae, sed & in prouinciis, populo Romano subiectis, Deum haberi colique vellet; Iudeos, religionis atque institutorum priscorum tenacissimos, Alexandriae, hac in re, habuit aduersarios, qui, quod in Proseuchis, aedibus sacris, precibus faciendis destinatis, simulacrum Caii adorare renuissent, auctore Flacco Auillio, † Aegypti tunc temporis praefide, eiusque successore, ‡ cuius nomen ignoratur, valde sunt vexati & trucidati. Aliis enim male

* Euseb. H. E. L. II, 18. ἐν οἷς μὲν ἐν καὶ ἡ Γάιον, ἐπὶ Τῆς Ρώμης, ἀφικόμενος, τὰ περὶ Τῆς Γάιας θεοτυπίας σύντῷ γενένθα, ἀ μετὰ ήθεων καὶ εἰρωνείας ἐπέγραψε περὶ αἵρεσῶν.

** v. Philo Leg. p. 1003. Ioseph. XVIII, 8. Tac. Hist. V, 9. Ann. XII, 55. Suet. Caj. XXII. Dio I. LXVIII, 759.

† op: in Flacc. 972. ‡ legat. p. 110, cf. Mangei,

male mulcatis, & ad incitas redactis, non licuit, fuga salutem
quaerere: alii intercepti, aut enecti combustique, aut atrocissimo
suppicio affecti sunt: praetermittam eos, qui viui, loris, laque-
isue, circa talos adstricci, per medium forum raptati, atque con-
culcati sunt, adeo, vt, quod eorum membra dissecta aut sparsa
iacerent, ne reliquiae quidem vllae sepeliri potuerint. Quam
immanitatem, quae non deprehenditur in beluis, tantum abest,
vt Flaccus, aut eius successor, coercuerint, vt potius hanc turbac
Alexandrinae impotentiam, odio erga Iudaicum nomen incen-
si, fouerint atque aluerint. Scholae enim, prudentiae, virtutis,
iustitiae sanctitatisque, verbo, diuinae humanaeque sapientiae
officinae, ($\pi\varphi\sigma\tau\epsilon\nu\chi\alpha$ aut $\pi\varphi\sigma\tau\epsilon\nu\chi\gamma\alpha$ vocantur passim a Philo-
ne, v. c. or adu. Flacc. p. 982. 972. Leg. ad Cai. 101. de Mose l. III.
68, et in N. T. Act. XVI, 13. 16. vbi vocantur quoque $\sigma\tau\omega\tau\omega\gamma\alpha$.)
partim incensae, partim dirutae sunt: quae vero a foedis hosti-
um manibus illibatae atque intemeratae manserunt, profanatae
imaginibus Caii, in illas illatis: in earum autem maxima cele-
berrimaque, simulacrum aeneum, quadrigis sublime, collocatum
est. Iudei interim hoc ludibrio, quod omnibus, a religione
vera remotis, debebant, deiecti, eo magis calamitatum grauissi-
marum procellas timebant, quo patentiores aures Caii erant
Iudeorum calumniatoribus. In his fuit Helicon, nescio quis,
qui callidus atque versipellis scurra, temporibus scite inferue-
bat, quibus posset Iudeos reddere iniurios. Religionem itaque
sanctam, superstitionem prauam & immodicam; gentemque
ipsam ad res nouas moliendas procluem cauillabatur, & aliis
artibus, peritia morum Caii, odia in longum iaciebat, quae re-
condidit, & aucta promxit. Etsi Iudei animum hominis illibera-
alem donis capere, eiusque iram placare tentabant: irritus ta-
men omnis conatus visus est, vt, desperata fere causa sua, ani-
mum inducerent, libellum supplicem offerre Caio, breuiores
illo, quem iam paullo ante, per Agrippam, regem, Herodis
illius magni nepotem, tradendum curauerant Caio. Quo ex
loco (p. 1018. Fr. & 520. Mang.) intelligi potest, quo anno imperii
Caii, Philo, cum quatuor aliis, *aut, vt Iosepho placet, (XVIII, 9.)

A 2

cum

* Mangeius (p. 600.) vulgatam Philonis lectionem: $\epsilon\gamma\eta\mu\eta\eta\delta\epsilon\pi\epsilon\gamma\eta\epsilon$

VI

cum duobus, missus fuerit Romam, ad imperatorem; & quo tempore, prior supplex libellus traditus fuerit Agrippae, regi. Forte tum, quum hoc facerent Iudei, Agrippa fuit Alexandriae, qui, auctore & suafore Caio, per hanc urbem & Syriam, in regnum prosectorius erat. Sed ibi non tam honorifice exceptus est Iudeus, vt Alexandrini eum pro dignitate, ad quam euedus fuerat a Caio, & reuerentia, amico Caesaris debita, prosequi debuissent. Inuisus itaque plebi Alexandrinae, (adu. Flacc. p. 969) turbae inconditae atque inuidiosae, quae aliorum felicitatem, calamitatem suam interpretabatur; omne genus ludibrii expertus est. Nec Flaccus Auilius, urbi praefectus, tantam vulgi effrenatam audaciam cohibuit. Mutauerat plane, post mortem Tiberii, pristinos mores. Antea enim vir, confilii plenus & prudens, negotiorum institutorumque Aegyptiacorum breui tam peritissimum repertus est, vt commodius diceretur res gesisse, quam hi poterant, qui in rebus administrandis consenserant. (v. lib adu. Flacc. 965.) Admoto vero Caio imperii gubernaculis, paullo remissior & negligentior in negotiis obeundis est factus, siue quod perpetuo dolore & desiderio Tiberii teneretur; siue quod Caio, ob saeuam & probrosum natum, male vellet; siue quod esset ex eorum numero, qui Agrippinam, Caii matrem, insidiosis circumuenient. Intelligi potest, opinor, ex his, cur Flaccus, amicus Tiberii, & inimicus Caii, Agrippae fuerit infensus, & ita toti Indaeorum nationi, quae pietatem & laetitiam publicam, sub auspiciis imperii Caii, fatis declarauerat; quam vero, vt aduersus hanc gentem eo maiori odio flagraret Caius, nunquam, et si faepius rogatus, litteris Caesaris

πρεσβευταῖς vult corrigi, & ex Codd. Vat. & Coll. nou. *πάντως* legi, ut Iosephi auctoritatem tueatur, qui tres legatos ad Caium missos scripsit. Sed valde dubito, an fides Iosephi tanta sit h. l., vt Philo inde, qui optime hanc rem cognoverit necesse est, inde emendari debeat. Iosephum quaedam, ad illorum temporum historiam pertinentia male tradere, & in alia omnia ire, deinceps notabimus. Veritas lectioonis vulgatae, apud Philonem, e contextis apparet. Ille enim sic disputat: Nonne magni discriminis res sit, salutem omnium Iudeorum positam fuisse in quinque legatis? Manifesto comparat paucos homines, quibus res gratissima commissa erat, cum infinitae multitudinis hominibus, periculo summo obnoxias, quibus quinque homines non satisfacere possint. Tò *πάντως* quoque nec locum, nee vim, huic loco accommodatam, habere videtur.

fari significauerat. Quae mala omnia, quibus adflicti sunt Iudei a Flacco, anno imperii sexto, cum quo missus fuerat a Tiberio in Aegyptum, qui fuit Caii secundus, acciderunt. Accepterat enim hanc prouinciam administrandam, sex annos, eique, quinque annos, viuo Tiberio, bene, postea autem, sub Caio, male praefuerat; quo anno, Agrippa, rex, superbiam Flacci sensit, popularesque suos indigne tractatos vidit, ut ex his, quae Philonis libello aduersus Flaccum, (p. 966. 987.) disputauit, patet. Iudei itaque, hoc tempore, tradiderint necesse est libellum supplicem Agrippae, cum esset Alexandriae, qui fuit, ut ait Philo l. c., longior altero, qui offerri Caio debuit, anno imperii quarto, haud dubie a legatis ipsis. (v. legat ad Cai. 1018) Quæ cum ita sint, Mangeius certe aliud egit, cum notaret ad l. c. (p. 572.) ἦν δὲ χρέδν τετράκις μανγοτέρας, ἦν ἐπειδόμενος πρὸς ὀλίγα δι' Ἀγεπτα, τετράκις — „anne vult istam profectiōnē Agrippae, secundo Caii anno factam, quam memorat Philo aduersus Flaccum, & Iosephus? (A. I. L. XVIII. 7.) Sed πρὸς ὀλίγα haud proprie usurpatur de gestis „ante biennium. Dicendum igitur in historiæ silentio, bis in „Syriam profectum fuisse Agrippam; primo, quando Trachonitis Tetrarchiam a Caio accepit; secundo, quando Galileeam, expulso inde patruo Herode; id quod contigit anno „Caii quarto, imperatore tum in Galliis degente. De secunda „profectiōne hic agitur. Scilicet Philo, cum sociis, Agrippae, per Romanam, Syriam versus, iter agenti, causa sua commen-tarios obtulerat, quos rex ad Caium transmittendos curauit. „Hæc ille. Sed quid opus est contorta hac ac parum accurata huius loci interpretatione, quæ fide historica destituitur? Si verba: πρὸς ὀλίγα, vt fert vsus loquendi, recte intelligantur, non fingenda est duplex profectio Agrippae, per Syriam facta. Πρὸς ὀλίγα enim apud Græcos, non tempus aliquod denotat, quod proxime praecedit; sed aliquot annos complecti potest. Sic Græci & Latini interdum particulis vtuntur, veluti: νεωσι, πρών, ἐχθρ̄, nuper, quæ non capi debent sensu vulgaris, vt unum vel paucos dies significant; sed fatis longum tempus. Apud Platonem quidem, in Gorgia, (p. 311. Bas. 2.) τὰ χθες τὸ πρών γεγονότα comprehendunt sedecim vel septendecim

τετρακισ επειδόμενος πρὸς ὀλίγα

τετρακισ επειδόμεnen πρὸς ὀλίγα

τετρακισ επειδ

VIII

decim annos. Paullo post enim, (p. 324.) Periclem Plato dicit *vew̄si* mortuum, antequam Archelaus, rex Macedonie, regnum capesseret: quæ Periclis mors, ante sedecim annos, euenerat. Athenaeus, vt hoc obiter moneam, Platonem quoque, propter *τὸν vew̄σι*, erroris aduersus temporum rationem conuincebat; (L. V. p. 110.) sed castigatus est a magno Casaubono, ad l. c. Athenaei. Ita apud Homerum (Il. β. 303) χθίζει ηγ πρωτέα γεγενημένα, tempus nouem annorum complectuntur: quem locum Plato in Gorgia l. c. ante oculos habuit videtur. Eu-
stathius p. 225. ed. Rom. τὸ δὲ χθίζει τε ηγ πρωτέα, αὐτὶ τοις χρήσεις ηγ πρωτέα, ιχ, οὐς εἴπειν, ἔναρχος. συγέμνει δὲ — τοις τοτέλεσι χρόνοις εἰς βρεφικὸν ποιῶσι. Et Scholiaestes minor: μάζευμάγειρ τὸν ει-
ναιτὴν χρόνον. Ex quibus locis satis superque eluet, πρὸ δὲ γεγενη-
tiam tempus duorum annorum significare posse. Similia mon-
nuit aduersus Mangeium, eruditissimus censor Philonis Mange-
iani, in Act. erud. ad annum 100CCXLV, p. 40. Sed hæc in-
terpretatio Mangeiana quoque ex historia & ordine temporum conuelli potest. Quum enim Philo Romanum, cum quatuor aliis
legatis, peteret, vt, pro Iudeis, Caio libellum illum traderet,
qui mala, quæ passi erant Iudei, & melioris conditionis con-
sequenda supplices preces continebat; non poterat eum Agrip-
pæ, regi, qui ex opinione Mangeii, per vrbum Romanum, in Sy-
riam, iter faciebat, tradere: erat enim eo anno, (qui erat Caii
quartus,) quo Philo legatus mitteretur Romanum, quoque in vrbe;
vt clare e legatione ad Caium (v. c. p. 1020. coll. p. 1019) intelligitur.
Deinde, quod Mangeius non obfervasse videtur, de
priori & longiori libello, Agrippæ tradito, est sermo, vt verba
Philonis, quea infra subieci, satis perspicue docent. *

Non bene, opinor, distinxit hic temporum rationem Ve-
nerandus Boyfius, in historiæ catholice summario, (T. VII. p. 371.)
cum scriberet, vexationem & cladem diram Iudæorum Alexan-
drino-

* „Placuit – offerri libellum, continentem descriptionem summariam, tum
„seorum, quæ passi fueramus, tum, quæ nobis concedi postulauiimus.
„Erat vero libellus fere compendium epistole plenioris illius, quam per
„Agrippam, paullo ante, miseramus. Nam is forte fortuna venerat Alexan-
„driam, nauigaturus in suum regnum, quod ab imperatore accepérat. „

drinorum, sub Flacco Auillio, (quem male Acillium vocat,) eiusque successore factam, quem Petronium fuisse putat, & legationem Philonis ad Caium, incidere in eundem annum, scilicet tertium Caii, siue A. R. S. xxxviii. Sed res sic se habet. Primum Iudei omni contumeliarum genere sunt affecti, anno primo & altero Caii, præside Aegypti Flacco, vt ipse Philo auctor est, in oratione aduersus Flaccum, (p. 966 987.) & in legatione; (p. 1018) qui Flaccus, anno secundo Caii, in insulam Andrum sepofitus est, vt ibi exul viueret: (v. adu. Flacc. 987.) sed relegatio & exilium illius, malis Iudæorum Alexandrinorum non statuit modum: illi enim successorem Flacci sensere, qui non fuit, vt opinatur Boysius, Petronius; hic enim Syriae præfes fuit, sed alius, quem nominare superedit Philo. (v. p. 1010. & Mang.) Deinde Agrippa, rex, non Roma fuit, tertio anno, sed quarto Caii, quo Petronius demum, Vitellio, Syriae præfidi, successor constitutus est, qui litteris ad Caesarem datis, cauſas moræ, quibus adductus ipsius effigiem non erigendam curauerit in templo Hierosolymitano, praetenderat. (vid. Petav. Rat. temp. P. I. p. 225.) De hoc furore Caii certior factus est Philo, Romæ, vt ipse commemorat; (leg. ad Cai. 1018, 19.) qui, re auditæ, cum popularibus suis, maximo timore perculsus fuit, ne Caius imperata exsqueretur. Litteris Petronii perlectis, Imperator exasperatus, grauiter increpat atque corripit Agrippam; qui exanimatus fere, domi suæ, libellum, pro sua gente, Caio mittit; quo delinitus, regis precibus locum relinquit aliquamdiu. Paullo post enim poenituit eum huius promissi, idemque nefarium ac impium facinus Iudeis imperavit, quod vero diuina vindicta intercepit, cum hic humani generis hostis male moreretur. Quæ omnia satis, arbitror, demonstrant, Venerandum Boysium, hanc narrationem non satis diligenter instiuisse, & ad ordinem temporum exigisse, nisi Philonem in tota hac re commemoranda, grauiter lapsum velimus. cf. Acta Erud. ad an. clobocxlv. p. 386. Fabric. B. G. L. III. p. 104. 114.

Sed haec tenus de cauſa & tempore legationis Philonis. Breuiter nunc de eius fide, qua in tradenda sui temporis historia, in primis Caii, præstat Iosepho, Dioni, & Suetonio, qui in paucis ab eo discrepat, exponemus. Quam quidem si in describen-

bendis Caii rebus, qua affectæ sunt ad Iudeorum caussam, ad præceptiones illas, de fide historica excogitatas, exigamus; inter omnes, diligenter rem intuentes, constat, scriptorem præstantiorem hoc esse neminem. Non enim fuit Philo vnu de multis, qui in rebus inuestigandis oscitanter versaretur, aut omnibus dictis factisue statim fidem haberet: sed e genere sacerdotali, tam claro atque illustri ortus, vt, auctore Eusebio, (L. II. 4.) principibus atque dignitate conspicuis par fuerit, & eruditio[n]is, sapientieque laude, longe celeberrimus, vt ipse profitetur: (p. 1018.) se plus, per ætatem, & rerum usum, sapere potuisse, quam alios. Eiusmodi vir igitur, cuius ingenium, rerum diuinarum humanarumque scientia, & doctrina exquisitissima, erat subactum, vt cum optimo quoque de principatu contendere posset, omnem fidem meretur. Sed tempora ipsa, quibus illa, quæ prodidit memorie, facta sunt, intuemur. Describit autem ortum, ingenium, initia imperii Caii Cæsaris, eius scelera, flagitia, atque summam impietatem, quæ Deum habere voluit, iniuriam, qua Iudeos laceravit, & legationem, ad auerruncanda hæc mala, institutam. Quæ ætate itaque viuebat Philo, res in facto positæ acciderunt, quibus gerendis ipse maximam partem præfuerat; certe multorum scelerum testis oculatus extiterat. Res igitur traditas necessario sciebat; interfuerat enim illis, & prudens vir melius aliis iudicare poterat; aut, quas non usurpauerat ipse oculis, ex monumentis priscis, aut auctoribus, fidei præclaris, hauserat. Sed age, haec dicta exemplis, sine quibus non tantam auctoritatem habere videantur, confirmemus. Philo, præmisso exordio, a rebus, quas narrat, ducto, orditur ab auspiciis imperii Caii Cæsaris. Lætitiam publicam, festis diebus celebrandis, hostiisque offerendis, quibus Diis gratias agerent, quod populum Romanum, adeoque fere humanum genus, compotem votorum fecissent, declaratam, copiose exprimit. (p. 993. f.) Pluribus hanc rem persequitur Philo, quam Suetonius: (c. XIII. XIII.) ille enim auctor est, in singulis viribus visa esse altaria, hostias, sacrificia, candidatos, coronatos, hilares blandosque vultus, festos dies, sollemnes conuentus, certamina musica, ludos circenses, comillationes, cœnas antelucanas, (*πανυγίδες*) & varii generis oblectationes. Hanc lætitiam publicam, vberatatem & annonæ felic-

felicitatem, populum tenuisse septem menses. Florem imperii maximum fuisse, quod Caius aerarium, auro argentoque facto & infecto impletum, inuenierit. (p. 993.) Consentientem habet & in hoc, vt in plurimis, Suetonium, (c. 37.) qui has immensas opes, a Tiberio congregatas, definite designat, cum totum illud Tiberii Caesaris, vices ac septies millies sestertium, non toto anno vertente, absumisse Caium, dicit.* Cum hoc tempore iam, dies noctesque, in libidinibus, & omnis generis voluptatibus, consumeret, iisque corpus animumque affectum reddebat: octauo imperii mense, a grauissimo morbo correptus est, cuius mentionem & facit Suetonius, (c. 14.) sed caussam non addit, morbum luxuriae, qua disfluebat, supplicium fuisse. In crebris enim compotationibus, coenisque tempestibus, omnis vigilandi labor expromebatur; nec modo gulae ventriique deditus, sed & cum mulierculis puerisque lepidis & delicatis, tantum libidini indulgebat, vt eneruatus morti esset proximus. Morbus enim adgrauescebat quotidie, & vulgatus, non modo ciues Romanos, sed & ciuitates omnes in prouinciis, quod desperarent pacem & salutem, quam in vita Caii collocata haebuerant, maximo moerore afficiebat. Pietatis officia erga Caesarem Suetonius laudat (c. xiii.). Graui tandem valetudine explicatus; vitam quasi moestis & tristitia deiecitis ciuibus reddidit. Sed non diu hic humani generis seruator, quem falso iactabant, lentam ac saeuanam naturam dissimulauit, sed se omnium exitio, natricem potius populi Romani viuere, immanissimis factis ostendit. Et primum quidem, patruellem suum Tiberium, (Philo (p. 995) αὐτοῖς, & Suetonius (23. c) fratrem vocat) coheredem bonorum & imperii, insidiis petuit, & occidi iussit. Dio Cassius quidem (p. 729. Steph.) contendit: Tiberium, nepotem suum, & propter aetatem puerilem, & suspicionem, quod non e Drusi sanguine natus putaretur, aspernatum esse: (quamquam sub initium L. LVIII. p. 734. parum constanter scripsit: Tiberium reliquisse nepoti αὐταρχίαν:) & Iosephus, (L. XVIII. 8.)

B con-

* Dio L. LVIII. p. 735. de hoc furore impendorum ita: „Vicies ter millies „sestertium, (alii tradunt vices semel millies sestertium, ac CCCXX infuper sestertia) quum accepisset in thesauris, nullam eius summae partem in tertium annum seruavit; quin altero statim anno maxima inopia labauerit.

contra Dionem & Philonem, tradit: Tiberium detulisse soli Caio imperium: sed vnicē Philoni, ex quo Suetonius est illistratus, (c. 13.) fides in hac re tribuenda. Fuit enim aequalis Caii, & rem planissime cognoscere potuit; ut dudum *Caſaubonus* iudicauit, in animaduersis ad Suetonium (p. m. 236.) & post eum, Venerandus ERNESTI, ad l. c. Caedem ipsam Tiberii, Suetonius, breuius iusto, nec satis accurate, describit: (c. 23.) „Fratrem Tiberium, inopinatim, repente, immisso Tribuno militum, interemit.“ Philo enim, (p. m. 996.) Caium, subdola pietate, dicit circumuenisse Tiberium: conuocatis ciuitatis principibus, eum, fieri posse, negasse, vt Tiberium, imperii confortem assumeret: simulauisse itaque, se adoptasse eum; sed reuera ei struxisse infidias. Quod et ita fecit. Iussus enim Tiberius, populo carus, se ipsum, adstantibus tribunis ac centurionibus, interimeret. Sed, quod ille nunquam vidisset, quomodo caedes humana fieret; praebuisse ceruicem tribunis secundam: Tiberium vero, hos, rem detrectantes, rogasse, vt, quomodo sibi letale vulnus infligeret, praemonstrarent: eumque tandem, hoc miserabili officio impetrato, se confecisse. Haec tenus Philo, & haud dubie verissime. Mangeius (p. 550.) hoc loco male diffinxisse videtur verba: ἐφεύγων ἐκποντάρεχων χιλίαχν ex MSS. & Suetonii loco: (c. 23.) „repente immisso tribuno militum, in ἐκποντάρεχς η χιλίαχν. Sed valde vereor, vt probauerit hanc lectionem eruditis hominibus. Nam primo Mangeius non indicauit, in quibusnam codd. MSS. hanc lectionem inuenierit; quod tamen pertinet ad ἀνθεβαν criticam; deinde locus Suetonii nihil in hac re decernit. Quod si haec ratio valeret, sexenta loca corrigenda essent. Miror, Mangeium non induxisse verbum ἐκποντάρεχς, quod apud Suetonium nihil de centurione legitur. Adeo facilis est & minime morosus aut pertinax in vulgata lectione defendenda, vbi locum tamen habere potest. Hic quidem Suetonius nihil momenti habet ad Philonem emendandum: qui rem multo diligentius narrat, quam ille. Aliud illustre exemplum, quo Philoni maiorem fidem quam Iosepho, scriptori alias non sernendo, tribuendam putem, defumam e narratione, quae de Caii audacia, & arrogantia, qua se, vt Deum, adorari voluit, sub imagine ali-

qua

qua, in adyto Hierosolymitano collocanda, testis est. Detulerat atque commiserat Caesar hanc rem, Iudeis abominandam, Petronio, Syriae praefidi, viro prudenti & iusto: qui, vt narrat Philo (p. 1022.) in ea perficienda, sic versatus est. Lectis litteris imperatoris, quibus iubebatur, si tergiuersarentur Iudei, iussa capessere, vti aduersus eos militum praesidio; dubius atque ambiguus consilii fuisse dicitur, quid, quod iram Caii iam ante caperet, Iudeosque sciret, pro religionis atque legum honore, prius mortem subituros, quam templum pati profanari, faceret. Cunetanter itaque rem, ob imminens periculum, aggreditus; Iudeorum sacerdotes & primores iubet arcessi, iisque iussa Caesaris exponit. Hi indignitate rei attoniti; planctu & lacrymis obortis, Praesidem ad misericordiam commouerunt. Iudei Hierosolymitani, audita hac imminente calamitate, Petronium in Phoenice tunc agentem, adierunt; * quo, facto, clamore sublato, seniores, iuniores, pueri, matronae, mulieres florente aetate, atque virgines, preces miserabiles fuderunt, ne Petronius hanc contumeliam fieri pateretur. Romanus, auditis Iudeorum precibus, habitaque consultatione, cum consiliariis, pietate, quam Caesari, nullius sceleris rei, adprobauerant, tactus, ne properent opifices, imperat, sed opus summa arte expoliant: qua cauffa, Caii iram se delinire posse putabant, si forte, cur rem non maturasset, expostularet iracunde. Dilatae enim dedicationis culpam in opifices conferre, & interea temporis, Caium exorari se passurum, sperare poterat, in primis cum segetes essent maturae, quae, precibus Iudeorum irritis, deuastari potuissent. Haec omnia, Petronius litteris ad Caium datis, diligenter exponit. Quibus perfectis Caesar, & vultu & dictis, omnem iram in eum euomit. Forte Agrippa rex, Romam, Caium salutatus, more suo, venerat. Bonus rex, nullius sceleris sibi conscius, ferociam oculorum, & frontis supercilium timens, ne hiscere quidem aduerfus Imperatorem ausus est. Sed cum tyrannus Iudeos impietatis incusaret: tanto horrore correptus est, vt eum examinem fere domum referrent. Ibi

B 2 totum

* Iosephus hoc factum scriptis in campo, in quo sita est Ptolemais, (L. II. B. I. 9. p. 791.) h. e. in Galilaeae finibus: Petronium deinde contendisse Tiberiadem & primores Iudeorum convocasse. De situ Ptolemaidis v. Cellar. Geogr. Ant. 482, 507. Reland. Pal. S. p. 270.

XIII

totum diem tanto oppressus est stupore, ut, quid sibi factum
 esset, nesciret. Litteris deinde supplicibus Caesaris iram pla-
 care tentat; quas et si Philo haud dubie confinxit; (p. 103.)
 tamen diligenter scriptae sunt. Quod voluit igitur rex, impe-
 trauit. Quamquam non multo post, Caium poenituit huius vo-
 luntatis; furor tamen & conatus impius, a quo denuo abreptus
 est, nece Caesaris, irritus factus est. Hactenus Philo. Sed
 audiamus nunc Iosephum, (L. xviii. 11.) qui in alia fere omnia
 discedit. Caium mississe narrat Petronium, cum imperio, in
 Syriam, quo, nisi Iudei statuam, in adyto, (*ἐν τῷ ναῷ τῷ Θεῷ*)
 collocari paterentur, vteretur. Contractis vndique auxiliis,
 hibernasse apud Ptolemaidem: hoc venisse Iudeeos deprecantes;
 se non migraturos leges diuinias: his verbis Petronium grauiter
 commotum: teneri se, iussa Caesaris exsequi: Iudeos autem
 pertinaces fuisse in sua sententia: se obiectatuos capita pericu-
 lis omnibus, iactasse. Petronium itaque, cognita Iudeorum
 perueracacia, cum amicis Tiberiadem petuisse, atque eos monuisse,
 ne, imperata Caesaris facere, detrectarent. Dies quadraginta
 insulmos huic negotio: neminem interim in opere esse inuen-
 tum, cum essent fementis tempora. Aristobuli autem regis,
 Agrippae fratri, & Eliae magni, intercursu, Petronii iram fe-
 datam: constituisse enim, litteris ad Caesarem scribendis, indi-
 gnitatorem rei exponere, &, vt votis Iudeorum respondeat, pro
 is deprecari. Forte fortuna Agrippam, regem, Romae lautissi-
 mum conuiuum adparasse Caio, quo liberalitatem studiumque
 ostenderet. Hunc demiratum regis munificentiam, &, vino
 paullo hilariorem factum, regem rogassem, vt, quid sibi fieri
 vellet, sponte iuberet, quo, pro meritorum magnitudine,
 quibus se, Tiberio imperante, affecisset, gratiam referre
 posset. Regem caute mente non statim aperuisse, sed vr-
 gente demum Caesare, pro gente intercessisse, & votorum
 compotem factum; Petronium deinde, collaudatum litteris
 Caesaris, ob industriam, in comparando exercitu, rem inter-
 misisse. Rumore autem exorto, Iudeos res nouas moliri; lit-
 teris ad Petronium missis, significasse Caium iram vehementem,
 cum ingentibus minis, eum grauissimas cupiditatis suae poenas
 daturum. Sed furorem Caesaris caede interceptum esse. Ean-
 dem

dem narrationem repetit, sed non satis diligenter (L. II. de B. I. c. 9) ut comparando facile elucet. Apparet autem, ex tota narratione, Iosephum in plurimis dissentire a Philone. Hic prodit, Iudeos, in Phoenicen, ad Petronium venisse, non vero Ptolemaidem atque Tiberiadem. Tempus deinde diuersum est, quo haec facta traduntur. Philo quidem segetem aduentassem, Iosephus autem, tempus fementis fuisse, affirmat: nihil ille de Aristobulo: hic omnia alia de Agrippa. Mirandum sane, quid sit, cur Iosephus, scriptor alias grauissimus, & fide dignissimus, Philonem, virum accuratae doctrinae, & veritatis amantissimum, non fecutus sit: qui hanc rem necessario, quod ei interfuisset, adeoque praefuisset, cognosceret, praesertim cum hunc, de legatione ad Caium, librum scriperit, septuagenario maior; quae aetas scriptoribus peculiarem dignitatem & fidem conciliat. Sed nimis cupide pro sua gente videtur omnia explicare Iosephus, vt ei auctoritatem afferat. Evidem, quid hic pro Iosephi fide dici possit, profecto nescio, cum Philonem, quem virum laudat longe clarissimum, (L. xviii. 10.) nec imperitum philosophiae, h. e. rerum diuinarum humanarumque, in hac quidem re, necessario consulere debuerit. Error & ille vix condonandus videtur Iosepho, cum, quae, sub Petronio, cum Iudeis acta dicuntur, ad tempus fementis reicit. Probabilior longe Philonis sententia, a quo haec referuntur ad segetum maturitatem, addita ratione: ne Iudei, si spe excidant, omnia, hostis ritu, agant, ferant, atque igni comburant. (cf. Mangei: Tom. II. p. 583.) Ex quibus omnibus, quae de Philonis fide disputauimus, perspicuum est, eminere fidei notas in eo adeo, vt facile agnosci possint, si is cum Iosepho & Dionne comparetur. Hoc quoque non leue momentum ad Philonis fidem habere videtur, quod cum Suetonio, scriptore diligent, qui omni tempore ab eruditissimis hominibus, hoc nomine laudatus est, in plerisque mire consipiret, eumque, vbi paullo breuior est, illustret.

Sed haec nobis, pro instituti ratione, de hoc Philonis libello, eiusque fide, in praesenti disputata sunt: proxime ad reliqua pergamus. Indicendae enim sunt orationes sex, ab eterioris indolis ac eximiae spei adolescentibus habendae, qui, quid

QKTC 440

XVI

quid in humanioribus litteris profecerint, declarare volunt.
Dicent autem hoc ordine:

- I.) Augustus Vilelmus IVMPLETVS, Pirnensis, de Scholis christianorum, pietatis & doctrinae verae officinis, exponet, orat. lat.
- II.) Gotthardus Fridericus OPPELTVS, Hochveitiens. de gloria FRIDERICI AVGVSTI, ELECTORIS SERENISSIMI, quam sibi cura rei scholasticae emendandae peperit, dicet, orat. teutonica.
- III.) Christianus Gottlieb ARNOLDVS, Beltitiensis, Laudes MAVRITII et AVGVSTI, quas, e Scholis constitutis illis tribus provincialibus, consecuti sunt, canet, Od. Alcaica.
- III.) Ernestus Gotlieb MEINHOF, Rottstockiens. Principes Saxoniae, optime de Scholis meritos laudabit, carmine theotisco.
- V.) Ioannes Godofredus MÜLLER, Lommatiens. Scholas prophetarum, officinas Spiritus Sancti & bonae Mentis esse, demonstrabit, orat. lat.
- VI.) Carolus Immanuel OPPELT, Hochveitiens. Florem Scholarum, in Saxonia optime constitutarum, carm. heroico lat. celebrabit.

Nihil reliquum est, quam ut PERILLVSTREM huius Electoralis Gymnasii artium INSPECTOREM, et litterarum humaniorum, atque Iuuentutis studiose FAVTORES atque PATRONOS, genere, eruditione, & virtutibus claros, etiam atque etiam rogenius, quo frequentes, ad orationes sex horum iuuenium audiendas, conueniant, atque praesentia sua, nobis honorifica, studia eorum excitent. Scripti in illustri Afraneo, a. d. xx. Augusti, A. D. cloccCLXXIII.



nt
3
olis
bo
de
RE
dae
11
des
tis
Od.
bes
ine
las
tis
em
ne
to
na
O
ue
ne
o
d.
up
ab
id
ill
t
3





QK. 532, 4.

B. m. II, 645

ANIMADVERSIONVM

PHILOLOGICO - CRITICA-
LEGATIONEM AD CAIVM
IMENI

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches
Centimetres

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

Farbkarte #13

